

Q. N.
434,
5.

(X 187 6402)

II R
1492

EXERCITATIO HISTORICO POLITICA
DE

REPVBBLICA AN-
TIQVA VETERVM
GERMANORUM

QVAM CVM ALIVNDE

Tum præcipue ex discursibus

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
ET CLARISSIMI

HERMANNI CONRINGII

Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris, hujusque
& Politices in Acad. Iuliâ Professoris Celeberrimi,
S.R. Majest. Sveciæ, & Illustrissimi Ostfrisiæ Comitibus Con-
siliarij intimi & Archiatri &c. Dn. Præceptoris &
Promotoris sui ætatem venerandi,
concinnatam

FAVENTE DEO

Eodem moderatore

Placidæ ventilationi subjicit

NICOLAUS MARTINI
SLESVIC: HOLSATUS.

IN NOVI JVLEI AUDITORIO MAJORI

Ad diem Aprilis.

•• (o) ••

HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

Anno c13 13 c LIV.

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

REPUBLICA ANNO
1700

PHILIPPUS
1700

PHILIPPUS
1700

PHILIPPUS
1700

PHILIPPUS
1700





T H E S I S I.

Qui alicujus Reip. formam & constitutionem accurate pernoscere, in ejusque cognitionem & naturam altius descendere gestiunt, illi etiam ante omnia, scopum, quem illa sibi Resp. propositum habet, inquirere & investigare debent. Non autem existimandum est, quasi idem omnibus Rerump. formis attendatur, aut quasi non alij atque alij dari possint aut dentur scopi; & sane evenire posse putamus, ut Resp. aliqua in forma conveniant, quæ tamen, quod scopum quidem attinet, longe sint diversissimæ, & contra, quæ in administrationis forma longe à se invicem dissident, eundem scopum respiciant, & ita hac quidem in parte conveniant.

II. Potest autem scopus iste, (nostra quidem sententia) in duplici differentia constitui, alius enim est, qui dominantibus, alius, qui toti Reip. intenditur. Quam dominantes respiciunt, magis ad privata ipsorummet commoda inclinatur & ejusmodi scopus seu finis in Tyrannide est, τὸ τῆ μοναρχῆντος συμφέρον, in Oligarchia τῶν ὀλιγαρχῆντων, in democratiā τῆ δήμου, qua voce nonnunquam totus populus, nonnunquam vero infima minutæ plebis fæx intelligitur. Hunc autem finem seu scopum, qui formas Rerump. à se invicem distinguit, locum hic habere minime posse putandum est. Alius est, qui toti alicui Reip. intenditur, & ipse est quem nos hic quærimus, hunc ergo accuratius aliquanto intueamur, quoniam nostro instituto illum conducere arbitramur.

III. Constat autem ex Ethicis, quatuor potissimum genera

genera institutorum humanorum recenseri, in quibus ho-
minum industria plerumque versari & occupari solet.
Aut enim homines, quibus, (uti Poëta ait)

De meliore luto finxit præcordia Titans

Ita vitam suam & actiones instituunt, ut veram virtutem,
eamque quoad licet, perfectam consequantur; aut hac re-
lictâ, in potentia & gloria bellica studium omne collo-
cent, armorumque vi nominis sui famam extendere, & fi-
nitimis dominari satagant. Nonnulli porro non tam
rerum potiri, quam ad magnas emergere opes (uti Lucre-
tius ait) allaborant, ideoque divitijs congerendis dies no-
ctesque invigilare non abhorrent, huc denique omnem
mentis ac cogitationum aciem intendunt ut, quod reliqui
virtuti & potentiaë bellicæ, illi acquirendo & augendo cen-
sui tempus transcribant. Nec desunt porro, qui spretis
hisce omnibus, soli voluptati sese indulgent, & tantum
non mancipant, qui omnem humanæ vitæ beatitudinem
& felicitatem, solo ventre cui natura oboedientes eos fin-
xit, metiuntur. Neque vero hoc de singulis tantum ho-
minibus sed integra potius aliqua gente, & Rep. pote-
rit recte pronuciari. Quod verum illum, & omnium per-
fectissimum scopum, virtutem scilicet attinet, paucos ad
hanc actionibus suis collimasse deprehendimus. Hujus ta-
men propositi scopi exemplum præbet nobis Resp. Hebræ-
orum ab ipso Deo Opt. Max. prudentissimo legislatore in-
stituta. Hæc enim si quæ unquam ad arduum illud & subli-
me veræ virtutis culmen viam adfectavit. At vero potenti-
am bellicam multis scopi instar propositam fuisse docent
historiæ, & in his agmen ducit potentissima illa totius
mundi dominatrix & Regina Romanorum Resp. quippe
quæ (uti sublimioris spiritus Poëta Claudianus cecinit) *ex-
tra anni solisq; vias progressa est & margine cæli clausit opes.* Cum
hoc

hoc Romanæ Reipubl. scopo hac quidem in parte, optime
convenit alterum illud Græciæ ὅμια Lacedæmoniorum
civitas, quæ etiam infinitis legibus huc spectantibus fuit
instructa. Nec aliud quid ipsis Atheniensibus propositum
fuit. Majores nostros, Germanos scilicet, quod attinet,
quem scopum illi habuerint paullo post apparebit. Volu-
ptatem porro multas olim gentes sectatas fuisse, docet hi-
storia Orientalis, Persarum præsertim & Assyriorum quo-
rundam Regum, ut & Sybaritarum qui infami illo volu-
ptatum cœno immerși, multis alijs sese negocijs implicare,
stultum esse duxerunt. Ad quartum instituti humani ge-
nus divitias, pergimus. Non possunt autem nobis & olim
& nunc deesse exempla, eorum, qui hisce comportandis
studuerunt. Apud veteres Tyrus & Sidon, maritimarum
urbium celeberrimæ, hodierni seculi pulchrius forte ex-
emplum præstabant Batavi, de quibus Poëta quidam mi-
nime obscurus & ipse in Batavis natus, ita canit:

— — Trux ventilet ignes

Tisiphone, quatitque suos irata colubros,

Provehimur, quo lucra vocant &c.

Ex his igitur apparet, quam diversa sint humanæ vitæ insti-
tuta, dum alij hoc, alij aliud quid sectantur.

IV. Illud etiam sciendum est, & ex prioribus fit ma-
nifestum, multos in scopo ipso aberrasse, neque enim præ-
ter unicum illum & verum scopum alius quisquam rectus
dabitur. Qui itaque aliud quid, quam veram virtutem
spectarunt, in ipso statim limine aberrarunt. Multi in sco-
po quidem errarunt, in medijs putem non item. Nonnul-
los etiam, & in scopo & medijs ipsis aberrasse, certum est,
& notat hoc peregregie *Aristoteles l. 7. Polit. c. 13.* ubi ita;
*interdum, inquit, scopus quidem propositus est rectus, atque hone-
stus, sed in agendo ab eo aberrant; interdum contra, ea quidem*

omnia, quae ad finem pertinent assequuntur, sed finem sibi proposuerunt malum ac primum, aliquando ab utroque longe aberrant, veluti in arte medendi, nam neque quale esse oporteat corpus sanum, recte interdum iudicant, neque ad finem sibi propositum accommodata efficientia nanciscuntur, in artibus autem & scientiis, haec utraque tenenda sunt, finis & actiones, seu effectiones ad finem, conferentes, & rursus l. 2. Polit. c. 9. ubi Lacedaemoniorum & Cretum Remp. examinat. Utrumque autem malum esse, & cum aliquo Reip. damno conjunctum, nemo ut existimo, in dubium vocabit.

V. Hisce ita veluti praemissis, nunc illud demum, quod nostri est instituti, agemus, & quid Majores nostri ante tempora Carolina, cum nondum Germaniae corpus in unum coaluisset, propositum sibi habuerint, videbimus. Et quidem voluptatem, ut ab hac initium faciamus, minime eos sectatos fuisse, tum ex infantili educatione, satis quidem dura, tum etiam assiduis & indefessis ipsorum laboribus, praesentia animi in subeundis & exsuperandis periculis, imo toleranda morte ipsa satis elucet. Testatur id discrete Tacitus in his verbis, cum ita inquit: *Dominum & servum nullis educationis deliciis dignoscas, inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus dignoscatur.* Quod longe aliter fiebat apud Romanos, sequioris aevi: hi enim liberos suos molliter & delicate educabant, nec tam ad bellicos labores perferendos, quam ad omnis generis vitia & lasciviam assuefaciebant, uti Horatius queritur l. 3. Carm. od. 6. Cum autem adeo duriter liberos suos educarint, hinc videmus pro scopo voluptatem eos non habuisse. Nec minimum illud esse argumentum reor, quod ab habitu corporum desumitur. Germanos enim nostros, olim quidem (nunc etenim longe aliter sese res habet) omnes, Europaei, imo totius fere terrarum orbis gentes ac nationes

ones, corporum proceritate, compacta membrorum firmitate exsuperasse certum est. Testantur id veterum scriptorum monumenta, quæ omnia hic apponere, supervacaneum foret, cum cuivis hæc satis sint obvia, ipse etiam Tacitus magna illis corpora tribuat. Unde autem tanta corporum proceritas, unde firmum illud membrorum robur, nisi è perpetuis exercitijs bellicis, educatione dura, tenui & parabili victus ratione, qua contentos Germanos fuisse, Tacitus his verbis testatur: *Cibi simplices, agrestia pota, recens fera, aut lac concretum: sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.* Cum autem hodierni Germani ab hoc instituto longius indies abeant, & in vita dilicati-ores agant, neque ijsdem exercitijs utantur, hinc adeo fit, ut habitus corporum veteri illi adeo dissimilis reddatur, uti notat Amplissimus Dn. Præses in tractatu quem de habitu corporum Germ. conscripsit. Verum scilicet illud est Quintilianiani: *educatio mollis & animi & corporis nervos debilitat, ac frangit.*

V I. Sed progrediamur ad divitias, quas non tam magni eos fecisse, quam potius contempnisse certum est. Apparet etiam illud ex Tacito nostro, ubi inter alia, *argentum, inquit, atq; aurum propitij an irati Dei negaverint, dubito.* Quæ verba, modo recte considerentur, id quod volumus præ se ferunt, ubi enim argenti atque auri usus aut plane nullus, aut perexiguus est, ibi non possunt aliquo in precio esse divitiæ, quia reliquæ opes ferme omnes nummi causa ambiuntur. Hinc Lacedæmoniorum Legislator Lycurgus, cum cives suos à cupiditate ditescendi quam maxime alienos vellet, usum nummi plane prohibuit, quod testatur Justinus l. 3. c. 2. hic verbis; *Emi, inquit, singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit, auri argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit.* Postea tamen ferream

ream pecuniam ijs concessit, quod ipsum rectene an secus fecerit, hujus loci ratio non exigit ut inquiram. Dicit porro idem Tacitus, quosdam Germanos, proximos ripæ Rheni aut Danubij, ob usum duntaxat commerciorum, quæ illis cum Romanis erant, pecuniam in precio habere, interiores vero i.e. à ripis his remotiores, quibusque adeo cum Romanis nihil negocij intercedebat, simplicius & antiquius permutatione mercium uti. Et hinc clarius patet, qua fini pecuniam in precio habere cœperint, nimirum ut sibi necessaria quæq; ab alijs possent parare, quando Romani permutationem hanc mercium non admittebant. Nummo autem isti, quo usi fuerunt, quæ nota fuerit impressa, parum adhuc constat, noster Tacitus ita, *pecuniam, inquit, probant veterem & diu notam, Serratos Bigatosq.* Qui locus mirum in modum hætenus exercuit Critricorum scholam, quidam ita explicant, Serratos, quibus serram; bigatos, quibus biga est pro signo: Lipsius serratos ita interpretatur, qui ad modum ferræ sunt incisi, Bigatos autem, quid sit, non explicat, merito tamen locus mendo laborare doctissimis quibusque videtur. Illud denique certissimum est, eos usque adeo contempisse divitias, ut argentea vasa legatis & Principibus eorum muneri data, teste ipso Tacito, non in alia vilitate habuerint, quam quæ humo finguntur. A ditescendi itaque libidine eos etiam alienissimos fuisse, nemo non videt.

VII. Verum enim vero, cum omnis divitiarum natura sic se habeat, ut aut usui & necessitudini humanæ, aut elegantia, aut denique luxui inserviant, probe hoc ipsum observandum est, & videndum, quænam sint quærendæ, & quousque civibus in bene constituta aliqua Rep. ditescere liceat. Lycurgum n. Lacedæmoniorum legislatorem certum aliquem terminum suis civibus posuisse, ultra quem diviti-

divitias augere non permittebatur, ex veterum monumentis constat. Quæ usui & necessitudini humanæ conducunt, omnino non possunt abesse, hisce enim qui carent, vere miseri sunt appellandi, ut ut contrarium Stoicorum turba asserere non dubitet, idque ipsum, ut Persius ait:

braccatis illita Medis

Porticus occentet.

Hæ igitur merito cuilibet homini, & omni quidem studio sunt acquirendæ, & has solas majores nostri, reliquis omnibus insuper habitis spectarunt, quippe qui tantum ea, quæ ad victum & amictum sunt necessaria, curarunt. Præterea quæ ad elegantiam faciunt, iis si quis careat, non quidem statim est miser, attamen ab omni parte felix dici nequit, quia aliquod felicitatis hujus complementum (ut ita loquar) vocari merentur. Quo circa ad ejus, qui in digniore præ reliquis fortunæ gradu positus est, aut amplo aliquo munere fungitur, elegantiam, plus requiritur, quam qui minori honore gaudet. Nec illud sicco pede, (quod ajunt) prætereundum est, opes hæc ad bene vivere non parum prodesse, proinde huc usque civibus in qualibet Rep. viventibus ditescere licebit. At vero, quod superfluas illas, & solum tantum luxui accommodatas attinet divitias, è re fore minime putandum est, ut hisce corradendis homines occupentur. Ex nimia enim divitiarum abundantia, enascitur, uti id ex prioribus colligi potest, luxus, è luxu porro omnis generis vitia promanant, quæ civitatem tandem plane effæminant, & emolliunt. Testis est Romana Resp., quæ mundo subacta nimis opibus luxurians ad pessima quæque vitia sese inclinare cœpit, quod gravissimè conqueruntur & deplorant prudentissimi scriptores. Nobis nunc pro instituti ratione sufficiat unicum tantum adduxisse testimonium, quod legitur apud *Lucanum l. 1. de bello Phars.* & ita habet.

B

Namque

*Namq; ut opes nimias, mundo, fortuna, subactis,
 Intulit, & rebus mores cessere secundis,
 Pradaque, & hostiles luxum suasere rapinae
 Non auro tertivae modus, mensasque priores
 Aspernata fames, cultus gestare decoros
 Vix nuribus, rapuere mares, fecunda virorum
 Paupertas fugitur, totoque arcessitur orbe
 Quo gens quaeque perit.*

Testis etiam est historiae parens *Herodotus l. 1. p. 29.* Persas ante devictos à se Lydios non fuisse luxui aut ignaviae deditos, quemadmodum postea, verba ejus haec sunt: *πέσσοι πρὸν λυδῶν κατασρέψασθαι, ἢν ἔτι ἀβρογὴν ἔτι ἀγαθὸν εἶδεν.* Erant scilicet Lydij natura ad voluptatem & luxum proni, horum opes & divitias cum nacti essent Persae, à pristino illo & duro vitae genere (quo antea usos fuisse eos, *Ctesiae* excerpta testantur) ad mollius & delicatius paulatim deflexerunt. Est etiam porro nimia haec, & vesana opum cupido, Democratijs cum primis valde noxia, quas *Aristoteles* mutari saepius ait, siquidem populus rebus acquirendis intentus *Reip.* negotia parum curet, eaque aut paucos aut unum aliquem paulatim ad se pertrahere patiatur.

IIX. Verum ne justo diutius, hisce immoremur, ad tertium illum scopum, seu vitae humanae genus, quod veram virtutem sibi habet propositam, pergamus. Hanc autem Majores nostros, utpote Barbaros non quaesivisse, vel exinde manifestum est, quia scopum hunc verum & optimum vel plane ignorarunt, vel saltem leviter cognitam habuerunt. Restat igitur ut potentiam bellicam eos intendisse dicamus, quod sane verum esse deprehendimus, siquidem omnia ipsorum instituta & mores, quae huc unice directae fuerunt, intimius aliquanto introspiciamus. Et hac quidem in parte, cum ipso Romanae, Laconicae & Atheniensis *Reip.* scopo, *Resp. Germanica* convenit.

IX.

IX. Ex his igitur allatis non poterit non recte rem intelligentibus illico patere, in scopo, adeoque ipso statim limine Majores nostros aberrasse. Quod sane tam barbaræ & incultæ genti minus erit imputandum, aut vitio vertendum, cum ipsi etiam Græci, qui omnes alias nationes & populos, humanitate, sapientia, & morum cultu antebant, alium finem non habuerint, quemadmodum etiam id ex historia Græca satis dilucide perspicui datur. Proinde hoc ipsum nulli mirari demus, Germanos in tanta morum feritate, aciem mentis ulterius extendere, & ad nobilium & magis optatum vitæ genus eniti non potuisse. Nunc etiam media, quæ ad scopum hunc obtinendum faciunt, qualia & an satis idonea fini huic impetrando fuerint, dispiciamus. Audivimus enim supra Aristotelem nostrum dicentem, quosdam in scopo quidem errare, in ipsis autem medijs, quæ scopo huic conducunt, non item.

X. Hæc proinde hætenus de varijs variarum gentium scopis, adeoque majorum nostrorum vitæ genere, dixisse sufficiat. Nunc, quod vere est hujus loci, in Germanorum nostrorum vitam & res gestas accuratius aliquanto inquiramus, & cum scopum ipsorum satis noverimus, media quoque ad scopum hunc facientia examinemus, ut quantum Reip. ea conduxerint, nec ne, eo rectius appareat, deinde etiam quædam de armatura Germanica, & institutis bellicis adjiciamus; sequemur autem in omnibus hisce (uti hætenus cœpimus) filum & ductum Cornelij Nostri Taciti, quo usus est in descriptione veterum Germaniæ armorum. Non possumus autem, meo quidem, ut ut tenui judicio, rectius hac in re progredi, quam si singulos ætatis gradus ob oculos ponamus, & quid cuivis ætati competat, quibus rebus assue fieri debeat, nec ne, recte ponderemus exinde enim clarius elucebit, cum à teneris assue-

scere adeo multum sit, anne etiam ita instituerint actio-
nes suas, majores nostri, ut scopum hunc assequi potuerint.
Recte? *Aristoteles l. 7. Polit. cap. 17.* ubi de educatione in-
fantili agit, lacte infantes ali debere ostendit, quia cibus
iste, ut ille inquit, ἐστὶ τροφή μάλιστα τοῖς σώμασιν οἰκεία, aut ut
Hippocrates *l. 16.* de usu partium ait, ἀδελφὸν καὶ συγγενὲς τῷ
αἵματι. Quod si ita est, ut certe aliter sese habere non po-
test, ipsa quodammodo natura, hunc præ alijs cibum com-
mendare nobis videtur. Dicit porro Aristot. l. c. etiam om-
nes bellicosas gentes & nationes quæ habitum milita-
rem sibi acquirere voluerint, hoc ipsum observasse. Et
quidem, apud majores nostros ut Tacitus ait: *Sua quemque
mater uberibus alit: nec ancillis aut nutricibus delegantur.* Quem-
morem, si quem alium, satis laudare nequeunt moderni
scriptores. Et sane non tantum olim apud Romanos &
Græcos longe aliter sese res habuit, sed & hodierno maxi-
me tempore, mos ille pravus & perversus Germaniam no-
stram invasit, & usque adeo jam invaluit, ut delicatiores
fœmellæ pene opprobrij loco habeant, uberibus suis in-
fantem alere. Ex qua re quid mali oriatur, politiores quam
optime judicabunt. Reprehendit jam olim pessimum
hunc morem *gravissimus Autor Plutarchus*, in aureo sane li-
bello, quem περὶ παιδων ἀγωγῆς conscripsit, ubi multas ad-
ducit causas quibus id fieri debere negat; videatur etiam o-
mnino hac de re longe elegantissima Favorini Philosophi
dissertatio, reservata nobis ab Agellio Noct. *Attic. l. 12. cap. 1.*
ubi multa in hanc rem legi possunt. Sed hisce diutius in-
herere nostri non est instituti, quippe qui ὡς ἐν παρόδῳ, & fa-
cem prælucente Tacito nostro, hoc duntaxat tangimus.
Et sane usque adeo hunc cibum majores nostri semper a-
marunt, ut etiam adulti maximam partem lacte vesci fue-
rint soliti. *Agricultura non student*, verba sunt Caij Cæsa-
ris,

ris, l. 6. de Bello Gallico, *majorq; pars victus eorum in lacte & caseo consistit.* Et rursus l. 4. ejusd. belli sic ait: *Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt: multumq; sunt in venationibus.* Quibus Iulij verbis noster quoque Cornelius ad stipulatur. *Cibi, inquit, simplices, agrestia poma recens fera, lac concretum.* Fece- runt & hoc alia gentes & nationes bellicosae, ut Scythae, Geloni, qui lacte coque equino victitarunt. Cum igitur cibus iste quam maxime bellicis laboribus deditis, pronunciante ipso Aristotele nostro, adeo conducatur, & probe hoc ipsum observarint majores nostri, hinc adeo videmus, recte eos hac quidem in parte scopo suo consuluisse.

XI. Præterea quoque frigoribus tolerandis pueros assuefieri debere recte censet Aristot. l. c. his verbis: *Συμφέρει δὲ εὐθύς καὶ πρὸς τὰ ψύχει συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων: τὸ γὰρ καὶ πρὸς ὑγίαιαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις εὐχρηστότατον. Διὸ πικρὰ πολλοῖς ἐστὶ τῶν βαρβάρων ἔθος, τοῖς μὲν εἰς ποταμὸν ἀποβάπτειν τὰ γιγνόμενα ψυχρότατον, τοῖς δὲ, σκέπασμα μικρὸν ἀπμιχθεῖν: οἷον, Κελτοῖς. Πάντα γὰρ ὅσα δυνατὸν ἐθίζειν, εὐθύς δὲ χόμενων βέλτιον μὲν ἐθίζειν.* Ex quibus multo elegantissimis Aristot. nostri verborum oraculis colligimus, à teneris pueros duriciei & frigoribus assuefaciendos esse, ne scilicet fiant molles & delicatuli. Et sane frigoris tolerantiam cordatissimi Autores in militibus & belli ducibus, æque ac alias virtutes requirunt. Claudianus 3. Consulatu Honorium laudat, eo quod edoctus fuerit:

Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,

Egalea potare nives &c.

Et rursus in divino illo carmine, quo Stiliconis laudes persequitur, sic elegantissime canit l. 1.

———— *Quoties sub pellibus egit*

Edonas hyemes & tardi flabra Bootæ

B 3

Sed

*Sub dio Rhiphaa tulit, cumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alij, tunc triste rigentem
Danubium calcabat eques, nivibusque profundum
Scandebat cristatus Anton, lateque corusco
Curvatas glacie sylvas umbone ruebat.*

Cum itaque hanc virtutem adeo extollant nobilissimi quique scriptores, quod multis præterea exemplis clarum fieri poterat, hinc non parum bellicis rebus eam conducere merito statuimus, quod etiam Aristoteles h. l. fatetur. Quapropter Poëtæ Martem bellorum Deum adhuc tenerum plantas suas frigidissimo Thraciæ fluvio, Strymone, abluisse fabulantur, quare nihil aliud indigitare voluerunt sapientissimi Mortales, quam militem frigoribus exsuperandis aptum esse debere. Hoc autem cum bene advertissent Majores nostri, non mirum est, à teneris (uti Græci ajunt) unguiculis eos id operam dedisse teste Tacito & alijs, *ut frigora & inediā ferre possent.* Non autem hæc frigoris exsuperantia tantum virtuti bellicæ (ut Aristot. recte monet,) sed & acquirendo & tuendo corporis robori, ac sanitati cum primis conducit, & vero ad munia quævis militaria dextere exsequenda, corporis robur haud parum proficere, omnium pene calculo firmatum est. Hac itaque etiam in parte bene rebus suis prospexerunt, & egregiam laudem sunt promeriti Majores nostri.

XII Recenset autem Arist. noster duos potissimum modos, quibus hoc fieri consueverit. Dicit autem quosdam Barbaros, quos ille Celtas vocat, nos merito cum doctissimo Piccarto, Majores nostros, præsertim Rheno proximos fuisse conjicimus, recens natos infantes *εις ποταμὸν ἀποβάλλοντες ψυχρῶν.* Claud. 2. in Ruff. sic canit:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Id etiam addendum puto, duabus maxime de causis id eos fecisse,

fecisse, quoniam scilicet primo existimabant, se hoc modo explorare posse, anne etiam ex legitimo conjugio natus ille infans foret. Iulianus Imperator in Epist. ad Antiochum Misopogona: *Spurij, inquit, cum primum nati sunt, fluminibus superponuntur, ac spurios quidem mergi, legitimos aquis innatare ferunt. Unde non ineleganter Nonnus in Dionysiacis Rhenum vocat ἐλεγχίζαμον. Nec defuere, monente Lipsio, qui Rhenum den Rhein / quasi purgatores sunt interpretati, quod pura conjugia indicaret. Altera porro infantes fluvio mergendi causa hæc erat, ut statim in ipso vitæ limine (uti sic dicam) durici ei & frigoribus natos suos assvescerent. Quæ res & ad valetudinem multum prodest, & ad munera militaria, ut etiam antea diximus, aliasque vitæ necessitates commode obeundas & ferendas. Et hæc de primo quidem modo dicta sic sufficiant. Alter porro modus est, σπέπασμα μικρὸν ἀμπραῖν, exiguum recenter natis inducere amiculum, tantum ut paululum frigora ferre addiscant. Quod maiores nostri non tantum in lucem modo editis, sed & adultis promiscue omnibus, nullo habito sexus aut ætatis discrimine fecerunt. Philippus Cluverius, vir alias undiquaque doctissimus, & rerum Germanicarum indagator sollertissimus, in Antiqua sua Germania, conatur nobis persvadere, maiores nostros plerosque nudis incessisse corporibus, & ita quoque depingi eos curavit, quod sane, (pace summi Viri dixerim) est contra omnium antiquorum testimonia, qui aliquem ijs, quamvis perquam æstivum tribuunt amictum. Et sane adversus asperitatem cœli, & frigidi Iovis injuriam satis muniti esse non potuissent, siquidem omnino intecti fuissent. Tenui itaque vestitu induti fuerunt, & testis huius rei locupletissimus inter alios est, Cornel. noster, qui ita capite 17. de moribus Germ. ait: Tegumen omnibus sagum fibula,*

aut

aut si desit, spina confertum, caetera intecti. Etiam fetarum
pellibus investitu usi fuerunt, teste eodem Tacito, cum
quo *Iulius Caesar l. 6. de bello Gallico* consentit: *Pellibus, in-*
quit; aut parvis rhenorum tegumentis utuntur, magna corporis
parte nuda. Et rursus *l. 4. ejusd. belli* hæc verba habentur:
In eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis, neque
vestitus præter pelles habeant quicquam (quarum propter exigui-
tatem, magna est corporis pars aperta) & laventur in flumini-
bus. Nec alius (verba sunt Cornelij nostri) feminis quam viris
habitus, nisi quod femina sæpius lineis amictibus velantur, eosq;
purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non ex-
tendunt, nuda brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris
patet. Magna igitur ex parte nudati fuerunt tam viri quam
fœminæ. Fecerunt itidem hoc olim multæ aliæ gentes,
bellicis laboribus deditæ, quas omnes hic recensere, præ-
tium operæ non videtur. Est vero egregia militis vir-
tus, frigoribus & horridæ tempestati, si quando necessitas
exigat non cedere; probe hoc olim advertisse videtur ful-
men illud Mavortis, Hannibal, qui milites suos à meridie
& sole venientes, adeoque frigoribus impatientes, ante-
quam horribile illud ad Trebiam proelium cum Romanis
aggrederetur, callido artificio adversus frigus perferen-
dum munivit. Sic enim Lucius Florus, Romanæ histo-
riæ Epitomator longe elegantissimus & veracissimus: *Tunc*
calidissimi, inquit, hostes frigidum & nivalem nacti diem, quum
se ignibus prius, oleoq; fovissent, (horribile dictu) homines à meri-
die & Sole venientes, nostram nos hyeme vicerunt. Nec tantum
ad frigus tolerandum facit, nudato ita corpore incedere,
sed etiam robori corporis, & compactæ membrorum fir-
mitati haud parum conducit, non autem solum frigus
corpora reddit compactiora, sed etiam ipse Sol, quorum
corpora radijs suis penetrat, eorum ossa duriora & magis
solida

solida reddit, itaque duplex inde commodum suboritur. Narrat *historie parens Herodotus in Thaliac. 12.* de Persis & Ægyptijs, hanc miratu dignam historiam. Cum Cambyles Rex Persarum Ægyptijs bellum fecisset, & cum illis acie decertasset, eorum, qui ab utrâque parte ceciderant, ossa, soliditate & duritie adeò differebant, ut Persarum quidem capita ad minimum digiti impulsu dissilirent: Ægyptiorum vero nec ipso lapidis ictu perfringerentur. Cujus rei causam Autor hanc allegat, quod Ægyptij semper nudato ad Solem capite inceserint, Persæ vero pileos gestarint, ipsa Herodoti verba huc apponi merentur, quæ ita habent: Αἱ μὲν τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσι ἀσθενέες, ἕτω, ὥς, εἰ θέλεις ψήφῳ μένῃ βαλέειν διατρηγανέει. Αἱ δὲ τῶν Αἰγυπίων, ἕτω δὲ πῖ ἰχυροί, ὥς μόγις ἀνὸ λίθῳ παίσας διαρρηξείας. Αἴτιον δὲ τῆς τῆς ἀλεγον (καὶ ἐμὲ γ' εὐπετέως ἐπειθον) ὅτι Αἰγύπιοι μὲν, αὐτίκα ἀπὸ παιδίων δέξαμενοι ξυρεῦνται τὰς κεφαλὰς καὶ πρὸς τὸν ἥλιον παχύνεται τὸ ὀστέον. Τῆτοισι μὲν δὲ τῆς τῆς αἴτιον ἰχυροῦς φορέειν τὰς κεφαλὰς. Τοῖσι δὲ Πέρσησι ὅτι ἀσθενέας φορέουσι, αἴτιον τὸδε. σκητροφέουσι ἐξ δέχης, πύλας πάρας πὶ φορέοντες. Denique si ita tenui veste quis amiciatur, tum liberius excrescit, & ad justam magnitudinem facilius pervenit. Hinc adeo elici potest, cum tot tantaque commoda hanc nuditatem commendent, recte fecisse majores nostros, quod ita tenuiter fuerint vestiti.

XIII. Illud in nostris Majoribus meritò quis reprehendere possit, quod quemadmodum frigora & inedia tolerare potuerint, ita ad sitim æstumque patientium indociles fuerint. Quæ sane non minima virtutis militaris laus habetur, & à doctissimis quibusque scriptoribus mirum in modum tantum non in cœlum extollitur. Peregregijs id ipsum versiculis in ante laudato Heroë commendat *Silius Italicus l. 1. de bello Pun. secundo*, qui ita habent:

C

Nec

*Nec pulvere fessum
Agminis, ardenti labefecit Sirius astro,
Flammi feris tellus radiis cum exusta dehiscit,
Candentiq; globo medius coquit æthera fervor,
Fœmineum putat inventa jacuisse sub umbra
Exercetque sitim, & spectato fonte recedit.*

Quocirca quamvis hac in parte non immerito vapulent Germani nostri, attamen aliquam mihi quodammodo excusationem meriti videntur, quippe cum plerique frigido sub Iove positi, adeoque perferendo æstui tantopere non illaborarint. Germaniam enim nostram, respectu quidem Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, maxime versus Arctum spectare, neminem poterit præterire, quapropter bene Tacitus, apud eos plurimum hyemem occupare, ait. Quod sitis impatientiam attinet, eos cum omnibus alijs gentibus ac nationibus bellicosis hoc vitium commune habuisse, adeoque minorem hujus rei culpam in eos redundare constat.

XIV. Et hætenus quidem ad ductum Arist. nostri quem in omnibus merito nobis proponimus, majorum nostrorum infantiam contemplati sumus, eamque scopo ipsorum satis accommodatam fuisse intelleximus. Quod pueritiam & reliquos adolescentiæ annos attinet, non temere legimus, eos ullis exercitijs fuisse imbutos, quod tamen longe aliter apud Romanos & Græcos fiebat, ibi enim pueri, adolescentes, literis, Musicæ, palæstræ, operam dabant. Unde & Terentianus ille Parmeno in Eunucho sic ait:

*Fac periculum in literis
Fac in palestra, in Musicis, quæ liberum
Scire equum est adolescentem.*

Quamquam Romani non tam musicam amarunt quam potius contempserunt, & gravi viro indignam judicarunt. Et vero refertur de quodam Romano Imperatore, seu duce bel-

ce bellico, cum filium eleganter admodum cantantem au-
divisset, in hæc verba prorupisse: *Nonne te pudet, quod tam s-*
scite canas. Attamen reliqua illa exercitia cum Græcis ple-
raque communia habuerunt. Majores nostri hisce gym-
nasticis non fuere dediti, nulla apud eos palæstra, nulla cer-
tamina Olympiaca, nullus campus Martius. Et sane non
tam exercitio corporis vacarunt adolescentes Germanici,
quam servilibus in super operibus adhibiti fuerunt. Di-
serte hac de re Tacitus: *Dominum, inquit, & servum, nullis*
educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem hu-
mo degunt, donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat. Quem
morem laudaverit quis an vero atro potius carbone di-
gnum judicavit equidem primo quidem intuitu haud pa-
rum ambigi poterat. Romanis & Græcis hoc olim in mo-
re positum non fuisse antea probavimus; habemus itaque
hic diversa diversarum gentium attamen idem pro sco-
po habentium instituta. Romani enim & Græci, qui
nullum alium, quam Majores nostri scopum agno-
verunt, cum juvenitatem suam bellis quam maxime
aptam cuperent, nec melius & accommodatius reme-
dium huic rei invenirent alterum, illam palæstræ ope-
ram dare, in luctando, currendo, & hujusmodi exercitijs
excellere voluerunt, ut ita paulatim periculis & labo-
ribus bellicis assuescerent, quia exercitia hæc & acquiren-
do corporis robori, & virtuti militari conducere sunt ar-
bitrati. Et sane egregie hoc ipsum commendat *Arist. l. 8.*
Pol. c. 4. si quidem cum aliquo modo fiat, & justos limites
non excedat, reprehendit enim Lacedæmonios, quod
nimis multum huic rei tribuerint, adeoque cives suos, ut
ille ait, *Μεγάλας* fecerint. Maxime etiam hæc exercitia
ita debent institui, ne corporibus obsint & crescendi vi-
gorem impediant, quod etiam ipse *Aristot. l. 6.* monet.

Majoribus nostris nulla ejusmodi exercitiorum genera
fuere cognita, ideoque ut illi haberent, quibus natos suos
futuris laboribus & periculis bellicis asvescerent, hoc in-
stituto usi fuerunt, ut scilicet pueri & adolescentes, à tene-
ris duricie & patientiæ studerent; & ita nullum deinceps
discrimen sua virtute majus æstimarent. Qua fini etiam
Lacedæmonij, illos, qui nondum ex ephebis excefferant,
ad aram Leucophrydis Dianæ, quæ vocabatur, deductos,
durissimis verberibus afficiebant, nec pausam hujus rei
faciebant, priusquam totum corpus sanguine passim nata-
ret, adeo quidem ut multi præ acerbissimo dolore exspira-
rent. Qui tamen mos multis hodie, & quidem merito,
crudelitatis nomine accusatur, & huic utique longe præ-
fero illud majorum nostrorum institutum, quippe qui
ἐκ μεγάλων ἔργων, uti *Aristot. l. 7. Polit. cap. 17.* ait, paulatim
pueros suos dura pati docuerunt. Et profecto si quidem
hanc ipsam antiquorum Germanorum educationem cum
altera illa Romanorum & Græcorum conferas, simul et-
iam utrumque scopum probe consideres, non poteris
non primas huic partes concedere. Hæc enim Germa-
norum effecit, ut nulli vitæ periculo sese subduxerint nul-
lum à se discrimen esse alienum putarint, qua in re egre-
gie finem suum sunt assecuti. An id etiam Romanorum
& Græcorum palæstra præstiterit, aut præstare potuerit,
nunc non disputo. Certè unicus Thebanæ rei Atlas, &
summus belli Dux Epaminondas apud Nepotem cives suos
sic alloquitur. *Si principes Græcia, inquit, esse vultis, ca-
stris vobis utendum est non palæstra.* Literarum & Musices
studium data opera jam prætermitto, neque enim ad sco-
pum illorum obtinendum hoc quicquam fecit. Cum
literæ potius sint artes pacis ac proinde in bello aut nihil
aut certe parum valeant. Adde quod majores nostri, ut-
pote

pote Barbari, literarum secreta plane ignorarint nec legere quidem aut scribere potuerint.

XV. Quamvis itaque hac palæstra, & hisce ludicris exercitijs, non fuere ad res bellicas præparati, non tamen alia illis media defuerunt; quibus jam Iuvenes & armis instructos melius exercerent. Audiemus enim ex Tacito nostro, Principes Iuventutis Germanicæ, semper aliquo delecto Iuvenum globo fuisse cinctos, qui inter sese de virtute & primo apud principem suum loco decertarent: ita enim Tacitus: *nec rubor, inquit, inter comites adspici: Gradus quinetiam & ipse comitatus habet, iudicio ejus, quem sequuntur. Magnaque & comitum emulatio, quibus primus apud principem suum locus.* Imo quod magis adhuc mirere, ipsi principes inter sese certarunt, uter alterum numero acerrimorum comitum superaret, quod fuit in pace decus, in bello præsidium, Maxime enim hi legationibus adhibiti fuerunt, & ipsa plerumq; fama bella profligarunt. Et hoc mirum in modum excitavit ardorem animorum juvenilium, & virtutem bellicam. In proelio comites pro principe suo certarunt, ipsi Principes virtute vinci in turpissimis habuerunt, ideoque & inter se veluti, & cum hoste decertarunt. Verum scilicet illud est Paterculi dictum *l. 1. c. ult.* ubi: *Alit, inquit, emulatio ingenia, & nunc invidia nunc admiratione incitationem accendit.* Hæc autem omnia egregie ipsorum scopo respondere exinde manifestum est. Usque autem adeo quietis impatientes fuerunt Iuvenes illi, ut si quando civitas illa, in qua orti essent, longa pace & ocio torperet, ultro eas nationes, qua tum bella gerebant, peterent. Fecerunt autem hoc ideo, ut in perpetuo exercitio bellico permanerent, nec domi longo ocio victi desides fierent. Illud cum primis æqua recti iudicij lance perpendi debet, an scilicet hoc ex usu istius Reip., cujus erant Iu-

venes hi, fuerit nec ne, res enim periculo carere mihi non videtur. Quoniam autem in omni beata Rep. illud magnopere cavendum est, ne cives fiant desides & ignavi, sed ut semper aliquid agant, in illa certe Rep., quæ in studio bellico versatur, quam maxime hoc præcaveri debet, desidia enim uti omni locietati, ita præ reliquis, bellicis rebus deditæ obest:

*Ocium Reges prius & beatas
Perdidit urbes.*

Omni itaque conatu hoc agendum est, ut civibus torpor ille excutiatur. Ponendum quoque est, ad studia bellica institui & idoneum reddi neminem, nisi in ipsa militia, posse: necessum itaque erit, ut in aciem procedat, ibique se in armis exercent. Hoc ita firmiter posito, ab altera tamen parte periculum est, ne iuvenes illi, siquidem pro rata ipsorum voluntate cuius operam suam collocent, Reip. eripiantur, & ita quemadmodum olim Perides agebat, pulcherrimum totius anni tempus, Ver scilicet, de mundo tollatur. Id ut evitetur magna certe cautela opus erit, neque ex usu fore videtur, ut iuvenibus istis liberri- mum huius rei arbitrium permittatur, sed ut publica, i- stius civitatis, cuius sunt cives, autoritate militent, debent itaque nomina sua apud Magistratum, antequam in mili- tiam proficiscantur, profiteri. Quod præceptum ho- dierno quoque tempore cum primis egregie observant Helvetij, qui tranquillatis in patria rebus, operam suam promiscue & Hispaniæ & Galliæ Regibus collocant, nec tamen, nisi autoritate publica armati stipendia faciunt, haud enim unquam licitum est in Helvetia, aut Hispano citra hanc autoritatem publicam militem legere, aut Hel- vetio, operam suam absque hac locare. Hinc adeo fit, ut necessitate aliqua ingruente, Helvetijs nunquam exer- citatus

citatus desit miles, quippe, cum tempus postulat, militem suum ipsi revocare possunt. Anne autem Majores nostri aliqua hac in re cautela usi fuerint, nec ne, in proclivi non est affirmare, illud tamen asserere non dubitamus; Iuvenes illos non intellecta principis sui voluntate, operam suam peregrinis non addixisse, quod etiam sufficere potuit.

XVI. Neque vero etiam illum morem silentio prætereundum esse puto, quo usi fuerunt in armandis Iuvenibus illis, non licuit enim cuiquam Iuveni ingenuo pro lubitu suo arma capere. Innuit id etiam exercitij hujus nostri prora & puppis *Corn. Tacit. c. 13.* cum ita inquit. *Arma sumere, non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit, tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater vel propinquus scuto frameaq; Iuvenem ornant, hæc apud illos toga, hic primus Iuventæ honos, ante hoc domus pars videntur, mox Reipubl.* Quod perfecto institutum summis ego laudibus extollendum puto, multum enim ad virtutem bellicam consequendam id ipsum profuisse arbitror, quia civitas non ante quemquam armis induebat, quam se tanto honore dignum gessisset, & virtute mereri videretur. Apud Lacedæmonios non ante juvenis arma accipiebat, quam militatū iret, & quod apud Majores nostros in concilio à principibus aut propinquis, illud apud eos à matre Lacæna fiebat, quæ clypeo filium obarmans, his eum verbis alloquebatur: *ἦ τὰν ἢ Ἰὼ τὰς.* Cui Sportanorum instituto, longe illud majorum nostrorum præfero, hi enim in publico concilio, talem Iuvenem scuto frameaq; ornabant. Quod sane ad æmulationem virtutis haud exiguū attulit monumentum, reliqui enim Iuvenes, qui nondum hoc honore digni judicabantur, & armigeri duntaxat erant, hac re mirum in modum incendebantur. Non tantum autem tum
tem-

temporis hoc apud Germanos obtinuit, sed multis post seculis illud adhuc fuit observatum. Legimus enim fortissimum Imperatorum Fridericum Ænobarbum, filium suum Henricum in plenis comitijs armis induisse, quod factum fuit seculo post N. C. duodecimo. Hodie autem mos ille in Germania plane exspiravit & qui hodie in Principum aut Ducum aulis exephebis excesserunt, adeoque tractandis armis apti habentur, colapho solent excipi, qui tamen mos à Romanis ad nos devenit, qui hoc modo mancipia sua libertati reddebant, uti testatur *Claudianus 4. Hon.* An autem majores nostri certum aliquod ætatis tempus expectarint, non est integrum, mihi id magis probatur illos non tam annos quàm virtutem Iuvenum respexisse, quod etiam Taciti verba innuere videntur cum *neminem prius arma sumere inquit, quam civitas suffecturum probavit.*

XVII. Iam illud pulchrum, quod Autor noster de singulari & pene incredibile majorum nostrorum castimonia affert, quod scilicet nimis maturas contrahere nuptias, nefas habuerint. Verba ipsa merito huc transcribimus: *Sera, inquit Iuvenum Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur, eadem Iuventa, similis proceritas, pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.* Hæc mehercules Cornelij verba arguunt, majores nostros hac quidem in parte omnibus, etiam totius terrarum orbis gentibus longe esse præferendos, neque enim hoc de ullo alio populo aut natione legemus. Et hæc in re Respubl. nostra Germanica, utut inculta ac barbara, omnibus alijs, quotquot sunt Rebus publicis palmam præripit. Nec solus Tacitus de Majoribus nostris, sed Iulius quoque Cæsar l. 6. de Bello Gallico id ipsum asserit, his verbis: *Qui divitiissime, inquit, impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem; hoc ali staturam, ali hoc vires, nervosque confirmari putant,*

putant. Intra annum vero vigesimum foemina novitiam habuisse,
in turpissimis habent rebus. Usque adeo casta fuit Gens
Germanica! quantum tamen hodie ab illo more plerique
absumus, id vero vel lippis & tonsoribus notum est, cum
mero meridie clarius id ipsum constet. Nunc scopum
illorum cum instituto hoc conferamus, & num satis bene
hac in parte rebus suis consuluerint, videamus. Recte
autem summus *Aristot. noster, l. 7. Pol. c. 16.* ubi matrimo-
nij tempus definit, hoc etiam in primis bono Legislatore
attendendum esse monet, ne aut praematuras, aut nimis
etiam seras cives ipsius ineant nuptias. Vtrumque autem
maximo cum incommodo, & totius Reipubl. detrimen-
to conjunctum esse demonstrat. Hac enim re juvenum
corpora exhauriuntur, naturalis calor dissipatur, adeoque
multum nativo robori decedit; uti ad justam staturam mi-
nime excrescere queant. Quid? quod infantes illi ex ejus-
modi conjugijs nati, fiant tenero & invalido corpore,
unde sequitur tandem, ut aut praecoci fato rursus abripi-
antur, aut si in vivis permanerint, & adoleverint, infir-
mis & valetudinarijs civibus Respubl. laborare incipiat,
dum liberi parentum robora minime referant. Vnde
Agamemnon apud *Tragicum Senecam Act. 2.* cum Pyrrhum
insigni aliqua vellet contumelia notatum, hoc ei tan-
quam crimen obijcit.

Ex virginis concepta furtivo stupro,

Et ex Achille nato, sed nondum viro.

Et sane ex parvis & invalidis etiam similes prognasci libe-
ros, in confesso, uti arbitror, erit, quod probe olim no-
tarunt Lacedaemonij, qui Regem suum ideo multarunt,
quod parvam uxorem sibi matrimonio sumpfisset, tan-
quam qui non tam βασιλεῖς, quam βασιλίσκος illis obtru-
dere tentaret, quod recenset Plutarchus in libello περὶ

D

παίδων

παίδων ἀγωγῆς. Ve enim inequis est Parrum virtus, teste Hora-
tio, ita quoque imbecillia eorundem corpora solent re-
ferre. Vid. Amplissimus Dn. Praeses in ante laudato lib. de ha-
bitu corp. Germ. p. 101. Hæc autem omnia extreme pernicio-
sa esse, cum alijs omnibus Rerump. formis, tum præcipuè
ijs, quæ gloriam bellicam aucupantur nescio an non qui-
vis cordatus mecum iudicarit: Et verò quantum aliæ gen-
tes bellicæ bono corporis habitui deferant ex supra dictis
facilis conjectura capiatur. Hoc tamen excipimus si for-
san Resp. aliqua civium inopia laboret, nonnihil hac in
re posse conniveri, imo tum præcocia connubia quam ma-
xime debent permitti. Modernus Hispaniæ Rex, quod
Regnum suum colonijs huc illuc deductis exhaustum vi-
deat, maturas nuptias ineuntibus & quam multos liberos
procreantibus certa quædam præmia constituit, & immu-
nitates pollicetur. Est etiam apud antiquos lex quædam
quæ vacationem ab oneribus publicis, parentibus πολυ-
τέκνοις, defert. Nimis porro seras contrahere nuptias, ex
usu quoque non videtur, & reprehendit hoc cum primis
Aristot. l. c. Medium autem maiores nostros hac quidem
in parte egregie observasse, & scopo suo quam optime pro-
spexisse, certum est.

XIIX. Nec vero ipsa jura matrimonialia ab hoc in-
stituto seu scopo illorum aliena fuisse deprehendimus.
Non enim maritus sponsæ suæ munera obtulit *ad delicias*
muliebres quæsitæ; nec quibus nova nupta comaretur, sed boves &
froenatum equum cum framea gladioque. Addit autem egre-
gie Tacitus hanc causam. *Ne se mulier extra virtutum cogi-*
tationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimo-
nij auspiciis admoner, venire se laborum periculorumque sociam,
idem in pace idem in proelio passuram, ausuramque. Hoc junctos
boves, hoc paratum equum, hoc data arma denunciare. Do-
cuerat

Horat. de ha-
ent re-
nicio-
cipue
on qui-
ia gen-
a dictis
s si for-
hac in
m ma-
quod
m vi-
beros
mmu-
aedam
s πολυ-
as, ex
primis
videm
e pro-
oc in-
imus.
delicias
ves &
egre-
a cogi-
rimo-
ciam,
unctos
Do.
uerat

cuerat autem supra Tacitus, uxores maritos suos in
proelia comitari, quem morem infra examinabimus.
Apud Romanos praesertim sequioris aevi longe aliter sese
res haec habebat. ibi enim maritus uxori munera ad delicias
muliebres quaesita offerebat, hoc autem a scopo bellico
quam maxime alienum fuisse, nemo certe nisi aut extre-
me malus, aut plane stolidus negaverit. Proinde & hic
mos laude sua non caret.

XIX. Ad instituta porro domestica & modos ac-
quirendi quod attinet, & num haec quoque scopo ipsorum
fuerint accommodata, nunc etiam brevibus consideremus.
Duplicem autem acquirendi modum, alium naturalem,
alium artificialem esse peregregie inculcat *Arist. l. 1. Pol.
c. 4.* Artificialem quod concernit, parum hunc ad se per-
tinere putarunt maiores nostri, utpote qui maxime in ac-
quirenda pecunia est accupatus, pecuniam autem & divi-
tias illas artificiales plane contempsit antiqua Germano-
rum virtus, quod etiam supra demonstravimus. An hoc
fini ipsorum fuerit congruum, judicabit C. Iul. Caesar.
qui libro 8. de Bello Gallico sic scribit: *Ne qua, inquit,
oriatur pecuniae cupiditas ex qua re factiones dissensionesq. nascun-
tur, ut animi equitate plebem contineant, cum suos quisq. opes
cum potentissimis equari posse videat.* Quae verba ex iplo ci-
vilis prudentiae meditullio sunt desumpta, & cum his egre-
gie consentit *Aristot.* Cum iraque ex cupiditate divitia-
rum oriantur factiones, profecto necesse est, interire Resp.,
maxime autem populares, in quibus inimicitiae periculosiores
sunt juxta libertatem, & inter arcana tyrannica ab *Aristot.
l. 5. Pol.* recensetur, inter subditos ferere lites. Adde
quod divitiae illae plerumque cum aliorum injuria veniant
conjunctae, ex injurijs autem oriuntur querelae, ex quere-
lis porro discordiae civiles. Et sane has Rerump. formas

interitui quam proximas esse, ubi qui ditissimus est, optimus habetur, jam pridem in confesso est. Quid? quod alias inexpugnabiles ista re sola superatas fuisse legimus.

Ἡ φιλοχρηματία σπάρταν ἔλοι, ἄλλο δὲ ἔδεν.

Memorable est, quod *Autor Noster* c. 44. De Suonibus exemplum refert: *Est apud illos, inquit, & opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, nec precario jure parendi.* Tantum scilicet libertati officit sacerrimus ille divitiarum ardor. Nec Nobis illud obstare videtur, quod *Aristot.* l. 7. *Pol. c. 8.* ait: Ἰπάρχειν δεῖν ἔτι καὶ τινα χρημάτων εὐπορίαν, ὅπως ἔχωσι καὶ πρὸς τὰς κατ' αὐτὰς χρείας, καὶ πρὸς πολεμικάς. Non enim modicum pecuniæ usum, sed insatiabilem duntaxat ejus cupiditatem damnamus. Majores nostros ad commercia quam maxime necessaria, & propter indigentiam humanam instituta, nummo saltem usos fuisse supra fuit probatum. Et vero artificialem hunc acquirendi modum recte eos neglexisse, ac proinde hic etiam suis rebus quam optime consuluisse, asserere nulli dubitamus.

XX. Naturalibus itaque divitijs, quibus omnino carere non potuerunt, contenti, victum quam maxime sibi ex animalibus tam mansuetis quam feris compararunt. Agriculturæ non multum studuerunt, eo quod majorem hoc vitæ genus laborem requireret, erant enim majores nostri pacis tempore, somno ciboque dediti, adeoque labores graves, quantum poterant, fugiebant, & à sese removebant. *Nec arare terram* (verba sunt *Autoris nostri*) *aut expectare annum iam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri, pigrum quin imo & iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.* Quoties bella non incunt, multum venatibus, plus per ocium transigunt dediti somno ciboque. Quibus *Taciti* verbis adstipulantur hæc *Julij Cesaris* l. 6. de *Bell. Gall. Agricultura, inquit, non student, majorque pars vitæ*
Et us

Etus eorum, in lacte & caseo, & carne consistit. Quæ loca id quod volumus præ se ferunt; vitam autem pastorem ad res bellicas magis accommodatam esse, quam illam, quæ in agricola vertitur, exinde liquet; quod & facilius victus ex pecore quam agricultura potest parari, neque adeo multum fatigantur homines pastores, quam qui rus exercent, aut ut Tacitus loqui amat *agris ingemiscunt*. Iam vero multis laboribus militum corpora exhauriri & frangi minime debere, extra omnem dubitationis aleam situm esse, nobis persuademus. Porro quoque, qui vitam pastorem vivunt, plus temporis bellicis rebus impendere possunt; & apud Ægyptios, cum pastorum numerus adeo crevisset, aliquoties ab ijs Resp. fuit sollicitata. Primos quin etiam Romanæ gentis conditores pastores fuisse, quis ignorat? Quapropter merito hanc illi præferimus, & hic etiam majores nostros sibi non defuisse, recte judicamus.

XXI. Diximus supra, non ex cicuribus tantum, sed & feris animalibus victum sibi quæsisse majores nostros. Multum igitur fuerunt in venationibus, & testantur hoc multi scriptores, qui hac de re aliquid literarum monumentis consignarunt. *Quoties bella non ineunt* (ante adductis Taciti verbis utor) *multum venatibus plus per ocium transigunt*. Idem de Fannis c. ult. sic scribit: *Venatus viros pariter ac fœminas alit*. Facit huc etiam *Cæsar l. 6. de Bello Gallico*. *Vita omnis, inquit, in venationibus & in studiis rei militaris consistit: à parvulis duricie ac labori student*. Nec vero modo accurate rem ponderemus, hæc ipsa res ipsorum scopo abludit, olim enim bellicosissimas gentes venandi studio deditas fuisse ex antiquorum monumentis constat, quæ omnia jam quidem excutere supersedemus. Illud certe ab omnibus concedi solet, venandi studium esse veluti exercitium aliquod bellicum, facit etenim homines *πισφοκινδύνας*, ac mul-

ac multis præterea commodis scætet. Habetur elegantissimus hac de re apud *Xenophontem*, apem illam Atticam, *l. 7. Cyropæd.* locus, quem non possum non huc apponere, ipsa autem Autoris Græca verba sic habent: Διὰ τὸ, inquit, δημοσία τὰ θηρῶν ἐπιμέλονται, καὶ βασιλεὺς ὡσπερ καὶ ἐν πομένῳ, ἡγεμονῶν αὐτοῖς ἔστι, καὶ αὐτὸς τὰ θηρῶν, καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως αὐτῶν θηρῶν. Ὅτι ἀληθαστάτη δοκεῖ αὐτῇ μελέτῃ τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι. Καὶ γὰρ πρῶτον ἀνίστασθαι ἐξίξει καὶ ψύχη καὶ θάλπη ἀνέχεσθαι. Γυμνάζει δὲ καὶ ὁδοὶ πορείαις καὶ δρόμοις. Ἀνάγκη δὲ τοξεύσαι θηρίον, καὶ ἀκοντίσαι, ὅπως αὐτῶν ὄρασιππῃ καὶ τὴν ψυχὴν δὲ πολλάκις ἀνάγκη θήγεσθαι ἐν τῇ θήρῃ, ὅταν τῶν ἀλκίμων θηρίων ἀνθιστεῖται Πάειν μὲν γὰρ δεῖ τὸ ὁμόσε γιγνόμενον, φυλάξασθαι δὲ τὸ ἐπιφερόμενον. ὡς εἰ ῥάδιον εὐρεῖν πῶς ἐν τῇ θήρῃ ἀπὸ τῶν ἐν πολέμῳ παρόντων. *Cum his quam optime congruit Iulius Pollux præfat. l. 5. ad Commodum*, qui locus an modo laudato Xenophontis non merito sit præferendus, haud parùm dubito: *Κυνηγεσιῶν*, inquit ille, *σοὶ προσήκει μέλειν, ἐπὶ τριπτήδευμα ἡρώικόν καὶ βασιλικόν, καὶ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα καὶ εὐψυχίαν ἀσκεῖ, καὶ ἔστιν εἰρηνικῆς τε καὶ καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα, πρὸς ἀνδρείαν φέρων, ῥωμαλέον τε εἶναι γυμνάζει δὲ ποδώκην, καὶ ἵππικόν καὶ ἀγχινοῦν καὶ φιλεργόν, εἰ μέλλει καθαρῆσειν καὶ τὰ ἀνθιστάμενα ἀλκῇ, καὶ τὰ ὑποφύγοντα τάχει καὶ τὰ ἀποσπῶντα ἀφ' ἵππου, καὶ συνετὰ σοφία, καὶ τὰ λαοθάλλοντα ὑπονοῖα, καὶ τὰ κρυπτόμενα χερόνω, καὶ νύκτωρ προσαγρυπνῶν καὶ μεθ' ἡμέραν ἐπιπονῶν.* Hinc quoque apud *Claudianum* venationis studium in *Stilicone* collaudatur. Non autem existimandum est, quasi solos tantum lepores, aut ejusmodi pavidum animal, quod etiam ad quemvis foliorum strepitum exhorrescit, venati fuerint, sed apros, urfos, leones & hujus generis terribilia animalia sectati fuerunt. Et apud *Virgilium IV. Aeneid.* parvulus ille *Aeneæ* filius *Ascanius* obvium sibi dari vult aprum, aut fulvum descendere monte leonem. *Cum itaque tot & tanta commo-*
da sc-

da secū trahat venatio, recte majores nostros fecisse quod exercitio huic adeo multum operis impenderint, ex allatis modo nobilissimorum Autorum testimonijs satis superque probatum est. Nulli autem venandi jure aut libertate tum temporis quidem exclusi fuerunt, quod tamen ipsum hodie longe aliter, & quidem recte sese habet, quia per mille & quod excurrit annos, inter regalia, venatio numerari cœpit, magnis quoque insuper incommodis, siquidem cuivis permittatur, res illa laborare videtur.

XXII. Magnam partem etiam latrocinij victitarunt veteres nostri Germani, quod cum multis alijs barbaris, attamen bellicosis gentibus commune habuerunt *Thucyd. l. 1. Belli Pelop.* Græcos omnes etiam, ante, quam morum cultura eos mitigaret, rapto vivere solitos fuisse testatur, & referta est ejusmodi exemplis antiqua historia: de majoribus nostris *l. 6. de Bell. Gall. Cæsar* hæc habet: *Apud eos, latrocinia, inquit, nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusq; civitatis fiunt, atque iuventutis exercenda, desidia minuenda causa fieri prædicant.* Eutropius etiam l. 1. de ipso Romulo ait, eum antequam regnum constituisset, latrocinij operam dedisse, & quo de Numa Pompilio loquitur. *Erant, inquit, Romani ante ipsum (Numam) ληστές, καὶ μιζοβίαρα ἐστίν.* An autem exercitio bellico hoc tantopere conducatur, alij melius judicabunt; nos id saltem adjicimus, eos hac in parte non æque bono ac antea medio usos fuisse.

XXIII. Verum hæc hæc hactenus de medijs illis, quibus Majores nostri ad obtinendum finem suum, bellicam scilicet potentiam, usi fuerunt pro ratione instituti nostri jam quidem sufficient. Nunc ipsa quoque instituta bellica, quod theli decima recepimus, breviter tamen & ὡς ἐν παροῦσι, cum aliud quid tempus non ferat, expediamus. Vbi primo illud monendum duco, longe diversissimos diversarum

rum

rum gentium, uti in cœteris omnibus ita hac præsertim in parte mores fuisse, alijs enim institutis bellicis usi fuerunt Persæ & Parthi, qui omnem vim bellicam in emittendis aliquot falcatorum curruum millibus, & in arcu posuerunt, quemadmodum id comptissimus Autor *Quintus Curtius* l. 3. restatur. Macedones alijs, qui in Phalange Macedonica robur suum collocarunt, alijs Romani, qui equitatu quam maxime confidebant, testante *Julio Casare in Commentariis, & alibi passim*; Alijs denique Germani nostri, quibus autore *Tacito* c. 6. plus roboris penes peditem erat. Ut jam nihil dicam de varijs armorum generibus, quibus & se defenderunt, & hostem petierunt varij isti populi. Videantur *Lipsius in admirando illo de militia Romana libro*, ut & *Polybius in comparat. armat. Maced.* & alij passim obvij. Et vero nullam pene in toto terrarum orbe gentem invenias, quæ peculiare suos hac in re mores non observet & sequatur. Id autem ideo præfari voluimus, ne forte quis falsa opinione ductus in recensendis & examinandis majorum nostrorum institutis bellicis frustra nos occupari arbitretur.

XXIV. Antequam tamen ad ipsa instituta bellica deveniamus, non possumus non illud in Majoribus nostris reprehendere, & atro (quod ajunt) carbone notare, illos; quemadmodum aliæ cultiores fecerunt gentes, non in unum consultasse, aut foedere aliquo *συμμαχικῶ* conjunctos fuisse. Imo quod magis adhuc mirere, discordijs & laniationibus civilibus sese ipsi mutuo confecerunt, tantum abest ut foedera inire laborarint, aut de communi periculo propulsando cogitarint. Quo nomine sibi & Romanis suis cum primis gratulatur *Cornelius Noster Tacitus* c. 34. de M. G. his verbis: *Maneat queso duretque gentibus (Germanicis) inquit, si non amor nostri, at certe odium sui; quando urgentibus imperij facis nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium*
discor-

discordiam & l. 12. Annal. hæc habet: Nihil adversus validis-
simas, ait, gentes istas pro nobis utilius, quam quod in commune
nos consulant. Rarus duabas tribusve civitatibus ad propulsandum
commune periculum conventus, hinc dum singuli pugnant, uni-
versi vincuntur. Plura ejusmodi in medium afferri possent;
sed cum historia passim hunc perversum & barbarum ma-
iorum nostrorum morem tangat, operam potius lude-
re videar, siquidem plura commemorando longior siem.
Tantum autem discordia potest, qua juxta illud Micipsæ
dictum: etiam magnæ res dilabuntur. Probe id ipsum olim
secum reputarunt duo isti Græcorum πολιτικώτατοι, infensis-
simi alias hostes, Themistocles & Aristides, qui quamvis
alias maximo alter in alterum odio ferretur tamen ut Po-
lyænus l. 1. dicit. Διετέλησαν πάντα τὸν πόλεμον ὁμοιοῦντες, ἢ δὲ
τῶν στρατηγῶν ὁμόνοια μάλιστα δὴ πάντας τὰς βαρβάρους ἐνίκησε.
Apud Thucyd. gravissimum sane scriptorem l. 4. hæc ha-
bentur: τὰς ἀλλοφύλους ἐπαλθόντας ἀδρόοι ἢν συμφρονῶμεν ἀμω-
νόμεθα, εἶπερ καὶ καθ' ἑκάστης βλαπτόμενοι ζύμπαντες κινδυνεύο-
μεν. Quocirca quam male hac in re majores nostri egerint,
& quam minus sibi caverint, credo vel oculis videbit lip-
pus inunctis. Erant scilicet Germani nostri utpote strenui
& bellicosi, ipsis etiam Romanis terrarum omnium do-
minis terrori ac formidini, quod cum alij tum Tacitus
ipse discrete testatur c. 37. de M. G. ubi in hæc verba tandem
erumpit. Non Samnis, inquit, non Poeni, non Hispania, Gallia ve,
ne Parthi quidem sæpius admonere, quippe regno Arsacis acri-
or est Germanorum libertas. Ad quem locum in diss. de Vy-
bibus thesi 43. sic scribitur: Majora profecto dicturus, si fra-
ctas imperij Romani vires Germanicis manibus conspexisset. Et
certe florentibus Romani Imperij rebus, nullus fuit popu-
lus magis Martius, aut ad bella natus, nec qui tantum ne-
gocij crearet tot gentium victoribus Romanis, quam ipsi

E

hi ma-

hi majores nostri, quod ipsi quoque Romani fateri non erubescunt. Id profecto cuius certum esse debet, antiquam illam Germanorum virtutem Romanis non tantum parem, sed & superiorem esse potuisse, siquidem unanimi omnium consensu, aut bella sibi illata propulsassent, aut ipsi intulissent.

XXV. Sed in viam redimus, & in quonam potissimum suum robur bellicum collocarint, aut situm esse putarint majores nostri, inquirimus. Inter alios id suggerit Nobis Autor c. 6. de M. G. *In univ[er]sum, ait, estimanti plus penes peditem roboris, &c. 30.* ubi Cattorum instituta enarrat: *Omne robur, inquit, in pedite, quem super arma feramentis quoq[ue] & copiis coonerant.* Ex quibus duobus locis intelligimus, quam maxime eos in peditatu vim reposuisse. Quam prudenter autem id ipsum fecerint, hinc conjectura capitur, quod pedites in bellis multo minori sumptu possint ali quam equites, etiam ratione locorum, peditis major usus sit quam equitis, si forte per aspera montium, aut fruticeta iter sit capiendum, adde quod in oppugnationibus urbium aut castellorum, nullus plane equitis usus sit. Non autem soli tantum pedites pugnant, sed in proelijs equitibus jungebantur, *eoque mixtim,* verba sunt Taciti nostri, *proeliabantur: apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos, ante aciem collocant.* Ad stipulatur ijs Iulius Cæsar l. 1. de B. G. *Erant, inquit, equitum millia sex, totidem numero pedites, velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos, sua salutis causa delegerant cum his in præliis versabantur, ad hos se equites recipiebant, hi si quid erat durius concurrebant, si qui graviore vulnere accepto, equo deciderant circumstabant, si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut iubeis equorum suble-*

vati

vati cursum adaequarent. Hac autem re Romanorum aciem valde turbarunt, adeoque hoc pacto multoties victoriam reportarunt; & Ariovistus Germanorum Rex, ut ipse Cæsar testis est, hoc aliquando modo Romanorum exercitus graviter afflixit. In campis quoque Pharfalicis, ubi Cæsar Pompejum tandem devicit, equitatus Germanorum qui à Cæsareis stabat partibus, ita proeliatus est, & novo hoc anteaque Pompejanis minime viso instituto ordinem ipsorum perripit, unde mox secuta victoria est, quam Cæsar nulli alij, quam equitatui, quem ex Germanis fortissimum collegerat, acceptam defert. Fuerunt autem pedites illi non ex quibusvis, sed ex omni juventute delecti, & quidem illi, qui quam maxime & præ reliquis, & corporis robore, & pedum velocitate pollerent. Hunc autem pugnandi morem apud nullam aliam gentem fuisse receptam legimus, suâ tamen laude non carere judicamus.

XXVI. *Acie* porro per cuneos, ut Autor vult, composuerunt. Acei autem instruendæ varios esse modos docent Autores qui de hac re scripserunt, inter quos *Veget. l. 3. de militia Romana*, & *Ælianus tacticon cap. 18.* egregie hanc rem persecuti sunt. Dicit autem Autor ille Scythas & Thracas quam maxime hac figura usos fuisse. *Cunei formis, inquit, usi videntur Scythæ & Thraces, usi sunt etiam Macedones, introducente eas Philippo. Autumabat enim hos usum habere Quadratis efficaciorum, quod undique duces circumpositi sint, cumque frons brevior fiat, equitationem etiam huc illuc facilem, & per quodvis intervallum reddere; adhæc & reversionem & conversionem compendiosam, quod difficiles non habeant circumductiones, quemadmodum Quadrata.* Hæc ille: laudatur etiam cuneus, ab hujus rei peritis, eo, quod aciei hostili perfringendæ & turbando ordini sit aptissimus. Hinc illam aciei

formam merito reliquis anteferimus, & majores nostros hanc sibi recte elegisse, statuimus.

XXVII. Nec loco quidem cedere, turpe fuit habitum, *sed dummodo rursus instes, consilij quam formidinis*, ut auctor ait, *arbitrati sunt*. Hoc tamen ipsum *l.c. Annal.* Germanicus Cæsar in ijs vituperat, & *sine pudore flagitij sine cura Ducum, abire fugere dicit*. Dubio autem procul hac de causa præcipue id fecerunt, si quando iniquo fortassis loco contravero hostibus opportuno pugnarent, aut res in id discriminis esset adducta, ut ad extrema descendere cogerentur. Porro etiam non tam ex desperatione quam eo consilio fecerunt, ut simulata hac fuga in insidias & sylvas hostem abducerent, & ita faciliori victoria potirentur, in sylvis autem & palustribus locis majores nostros, quorum exercitus quam maxime ex peditatu constabat, semper vicisse exercitum Romanorum ipse Germanicus Cæsar *l. d.* fatetur: nam fundi Germanos acie & justis locis ait, juvari sylvis, paludibus, brevi æstate & præmatura hyeme. Et Pyrrhus Epirotarum Rex hostem fugientem negat pertinaciter persequendum, ne aut desperationem vertat in virtutem, aut in insidias hostem pertrahat. Istac olim arte Cyrus Scythas, Scythæ Cyrum superarunt, ut *Herodoti Clio* testatur, Romanorum exercitum sub jugum misit Iugurtha, uti *Romana primus in historia Crispus Sallust.* auctor est. Et sæpius apud Tatitum fuga simulata locum fraudi quæsitum fuisse, intelligimus, multum enim ad victoriam momenti locus afferre potest, quod omnes in universonum historiae testantur *Veget. l. 3. 3. cap. 13.* Summos præterea & fortissimos belli Duces interdum hoc modo hosti cessisse fatendum est. Et sane scutum illud Romanæ rei *Quint. Fab. Maximus*, cui etiam exinde *Cunctatoris* nomen quæsitum constat, invictas hac pacto Annibal-

lis

lis vires attrivit quemadmodum *Claud. l. 4. Honor: hisce ver-*
sibus cecinit :

Primus fulmineum lento luctamine Pænum

Compressit Fabius.

Hoc autem consilio Majores nostros interdum cessisse po-
stea tamen occasione data fortiter rursus instituisse nobis
persvaderi facili negotio patimur.

XXIIIX. Etiam illud in disciplina militari præceptum
est, ne interfectorum corpora sepulturæ honore careant,
& apud *Curt. l. 5. c. 3. Rex Alexander dimittere milites in sepul-*
tos erubescibat, ita tradito more, ut vix ullum militia tam solenne
esset munus, quam humandi suos. Hinc apud Homerum in
Iliade legimus aliquot dierum inducias fuisse factas, hac
duntaxat fini, ut eo commodius sepulturæ tradi possent
occisorum corpora. Magni autem semper habita fuit
demortuorum sepultura, ita apud *Herodotum l. 1. Arion*
Dithyrambi inventor (si tamen ea historia est) cum eum
nautæ in aquam vellent præcipitare, rogavit potius τὴς
πορθεύεας ἢ αὐτὸν μὴ διαχεῖσθαι ὡς ἂν ταφῆς ἐν τῇ γῆ τύχη. Et
apud veteres Romanos ut & Græcos gentiles, antequam
Christianæ religioni nomen suum darent, nefas erat, in-
ventum aliquem defunctum & sepulturæ honore caren-
tem præterire, nisi injecto ter pulvere, quemadmodum il-
lud notissimum est: Certo enim ijs persuasum erat, ani-
mas insepultorum circa Strygiam paludem errabundas vo-
litare, nec admitti ad quietem, donec humatum esset ca-
daver ut habent Poëtæ. Majorum nostrorum tanta fuit
gloriæ cupido, ut etiam in dubijs proelijs corpora suorum
referrent, & debito honore afficerent, noluerunt enim ea
hosti relinquere, & legimus quam sæpissime acerrime pu-
gnatum fuisse de cadaveribus. Quare mirum in mo-
dum fiduciam in suis augebant, eosque animæ prodigos

faciebant, nemo enim vitæ suæ parcendum putabat, cum adeo honorifice eorum cadavera haberentur, nec canibus aut avibus rapacibus, quod fieri nonnunquam consuevit, dilaceranda relinquerentur. Hinc unicus ille Trojanorum murus Hector jam morti vicinus Achillem *Iliad. l. X.* sic alloquitur:

Λίσσομ' ἰσπέρ ψυχῆς, καὶ γένων, σῶντε τοκῆων
Μή με ἔα παρὰ νηυσὶ κύνες καταδάψαι Ἀχαιῶν
Ἄλλὰ σὺ μὲν χαλκόν τε ἄλις χρυσόν τε δέδεξο
Δῶρα, τάτοι δῶσθαι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρρῶς με
Τρῶες καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.

Tanta scilicet æstimata fuit sepulchi jactura, quod in hodierna etiamnum militia, non tamen ex hac superstitione, à qua Christianorum animus plane est alienus, observatur.

XXIX. In delinquentes porro severe animadvertunt Majores nostri: Ita teste Autore nostro; *scutum reliquisse præcipuum erat flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire, ignominioso fas, multiq; superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.* Nullo autem prorsus pacto hæc elui macula potuit, quod profecto, utut interdum satis durum fuerit, ex re tamen Reip. Germanicæ potentiam bellicam unice pro scopo habentis, quam maxime erat. Nullibi enim majorem disciplinæ quam in militia, rationem recte haberi, statuendum est. Qui enim aliter tantus ferocissimorum hominum numerus in officio contineri possit, nullus video. Et hac ratione ignavos & imbelles tanquam Reip. inutiles arboribus suspenderunt Germani veteres; præmijs enim & pœnis omnem humanam societatem regi, recte olim statuit Solon. Arma autem abjicere apud omnes gentes bellicosas semper probrosum fuit habitum

bitum, quod in historijs non plane hospiti satis superque
constat. Debet enim miles uti *Diodor. Siculus l. 13. ait τὴν πει-
νοπλίαν καὶ τὴν ψυχὴν ἐν ἴσῳ ποιεῖν*. Memoratu profecto di-
gnum est, quod *Justinus l. 34. c. 2.* de Catonis filio exemplum
refert: qui dum procerum quendam petit, gladius ei è manu elapsus,
in mediam hostium cohortem decidit, ad quem recuperandum cum
umbone se protegens, inspectante utroque exercitu, inter mucrones
se se hostium immersit recollectoque gladio, multis vulneribus acce-
ptis ad socios cum clamore hostium revertitur. Tanta gladij cura
erat! Quare autem apud Majores nostros præcipuum flagi-
tium fuerit, scutum abjecisse, nonnulli præsertim Græci so-
lent hanc rationem adducere, quod scilicet scutum defendat
militem, gladius vero aut hasta, vel framea (quæ majorum nostro-
rum propria erat) offendat hostem, & potior debeat esse sui corporis
quam hostis cura, ideo frameam abjecisse adeo turpe esse. Plutar-
chus in libro de argute dictis memorat: quod Damaratus
Rex Spartanorum interrogatus, cur scutum abjecisse apud
Spartanos adeo turpe esset, regesserit, loricam militem ipsum
defendere scutum artem propter ordinem totius exercitus sive
phalangis esse servandum. Poterant enim ita in prælio scuta
compingere ut veluti tectum essent in acie totius exerci-
tus, & uno scuto perrupto, aut abjecto patebat via cata-
pultis. Verum eo breviores hic data opera erimus, quo
nobilior quæstio decidenda se nunc offerit.

XXX. *Duces* (inquit Autor noster) *ex virtute sumunt,*
qui exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui ante,
aciem agant, admiratione præsent. Cæterum neq; animadvertere,
neq; vincire neque verberare quidem nisi Sacerdotibus permissum,
non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo Imperante, quem
adesse bellantibus credunt. Primo hic monendum est, per vo-
cabulum Ducis antiqua Romana & vera vocis significa-
tione nihil aliud jam denotari, quam summum aliquem rei
belli.

bellicæ præfectum, quem nos hodie vulgo *étinèn Général* appellamus. Postea tamen, præsertim Carolino ævo aliter hoc vocabulum usurpari cœpit uti præclare Nobilissimus Dn. Præses in *diss. de Ducibus & Comitibus* ex veterum monumentis annotavit. Maximam autem profecto laudem mihi promeriti videntur Majores nostri, quod in Electione Ducum, virtutem potius, quam generis nobilitatem attenderint, quamvis enim ad auctoritatem ejusmodi Duci conciliandam non minimum faciat generis nobilitas, uti id ex Sallustio novimus: nobiles enim & natalium splendore præcedentes, minus nobili utut virtute præditi Duci ægre obtemperant, tamen si quando utrumq; conjungi non potest, majorem virtutis quam nobilitatis respectum haberi debere, nullus dubito: observarunt id etiam quam plurimæ altæ bellicis rebus addictæ gentes. Hactenus itaq; bene fecisse majores nostros, inde constat, an autem hoc æque bene consultum fuerit, quod tam exiguis limitibus istorum belli Ducum potestatem incluserint, id vero jam nobis erit inquirendum. Quatuor autem potissimum, scientiam scilicet militarem, fortitudinem, auctoritatem, ac deniq; felicitatem, in omni egregio belli Duce requiri, disertissimus Romuli Nepotum *Marcus Cicero in Orat. pro Lege Manil.* ait: Inter maxima igitur requisita, etiam auctoritas à Tullio nostro recenseri meretur, unde statim manifesto apparet, quam necessaria sit hæc ipsa ad impetrandum finem bellicum: nec defunt exempla passim in historijs, quæ neglectam Ducum auctoritatem maximarum & funestissimarum cladum causas exstitisse prodant, unicum modo ex historia Græca nunc afferemus, Athenienses ad Ægos Potamos à Laconum exercitu nulla alia re magis devicti fuerunt, quam quod insuper habita Ducum auctoritate, hinc inde dispersi prædatum exissent. Putarunt autem majores nostri

nostri, tempore potissimum Taciti, quo pro fortuna & re-
rum successu sublimiores animos gerebant, altiusque quid-
dam & in domitum spirabant, id sua libertate minime di-
gnum videri, si ita uni se regendos permitterent. Iulio Cæ-
sare in Gallijs adhuc agente, longe alia, siquidem ipsi fidem
atbitramur, fuit hujus rei ratio, nam ut ille refert, tempore
quo bella ingruiebant, electos fuisse magistratus, qui rei
summæ præessent, cum plenaria vitæ ac necis potestate.
Postea itaq; fortunæ & bellorum successu libertas Germa-
nica mirum quantum crevit. Nimiam autem & pene effrœ-
nem majorum nostrorum libertatē aut ut rectius loquor,
licentiam, nemo credo laudabit, æque enim hæc Rebusp.
ac nimia servitus nocet. Et longe sane rectius fecisse Ro-
manos, qui absolutam omnium rerum potestatem Ducibus
prudentibus commiserunt, statuimus; in militia enim
nisi severa adhibeantur remedia, omnia sursum deorsum
vertuntur, id autem neglectâ Ducum autoritate fieri cer-
tissimum est. Hinc quoque non immerito vapulant mo-
derna Poloni, & à Prudentioribus maximeque cordatis vi-
ris exagitantur, quod scilicet ea, qua debebant, disciplina
us non sint; quam adeo laxam disciplinam omnis illorum
fortunæ & calamitatum, cum quibus nunc colluctantur,
causam accersunt: sed hæc obiter. Ea autem majorum no-
strorum religio aut superstitio fuit, ut, cum Ducibus suis
minime sese regendos permitterent, à sacerdotibus, Dei
quasi nutu (ita decepta credidit simplicitas) se & vinciri &
verberari paterentur.

Tantum Religio potuit suadere malorum

Hinc non immerito *Aristot. l. 6. Pol.* ubi de tyrannide dis-
serit, hoc etiam tyranno præceptum suggerit, ut religio-
nem, quamvis nullam aut habeat, aut curet, tamen simu-
let: Ἐπὶ δὲ τὰ πρὸς τῆς θεῶς φαινόμενα αἰεὶ σκεδάζοντα διαφερόν-
τως,

F

τως,

τως, ἡττιόν τε γὰρ Φεβῶνται τὸ παθεῖν τε παρενόμοι, διὰ τῶν ποιῶτων,
εἰάν δεσποδαίμονα νομίζουσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ Φροντίζειν τῶν θεῶν.
καὶ ἐπιβλεύουσιν ἡττιόν, ὡς συμμάχους ἔχοντι τῆς θεῆς. Hunc igitur
majorum nostrorum morem utpote inconsultum &
reip. perquam noxium non sine causa damnamus, & à be-
ata Rep. proscribimus.

XXXI. Audivimus supra ex Tacito, Duces Germa-
norum exemplo potius quam imperio præfuisse, non i-
gitur tantum consilijs sed etiam manus suas adjuvarunt.
Solet autem quæstio hæc à nonnullis agitari, an scilicet
Imperator teneatur in congressu proelii, gladium stringe-
re, an vero officio suo satis defunctus videri queat, liqui-
dem bona duntaxat consilia suggerat. Possunt autem
in utramque partem probabilia afferri. Et siquidem No-
bilissimorum belli Ducum exempla intueamur, plerosq;
etiam manus conseruisse in proelijs videmus. Testantur
id ipsum scriptores de Epaminondâ, Alexandro M. Pyrrho,
Alcibiade, Iulio Cæsare, Scanderbejo & innumeris alijs.
Hinc Alexander M. apud Curtium sic milites alloquitur l. 4.
c. 4: *nec postulare se, ait, ut fortiter capefferent proelium, nisi
ipse cæteris fortitudinis fuisset exemplum, se ante prima signa
dimicaturum spondere, pro se quot cicatrices, tot corporis deco-
ra.* Et apud Marinum Barletium qui Scanderbeij res gestas
egregie descripsit, ipse Heros Scanderb. sic inquit: *In
castrensi cura & labore, in militari officio, in excubijs, in vigili-
is nunquam vobis inferior eram, sed tanquam unus ex commili-
tonibus me habebam, & facta mea non dicta sequi volebam, nec
disciplinam modo sed exemplum à me peti. Nullum unquam
laborem, nullum discrimen aut periculum recusabam, siue aliqua
simulatione aut tergiversatione fugiebam.* Ex his utique ali-
quis sibi persuadere poterat, recte facere Imperatorem,
feu summum aliquem belli Ducem, quod manu etiam u-
tatur

tatur, quia illud testantibus passim historicis ad ardorem
pugnandi milites mirum in modum accendit. Contra
vero cum à salute unius Imperatoris interdū imo soepissi-
me totius exercitus salus dependeat, & eò interfecto mili-
tum animi non parum frangantur, provecto quam maxi-
mā potest industria, salutis suæ consulere Imperatorem
merito debere, statuimus, quod facere minus poterit si-
quidem ipse ante aciem manu rem gerat. *Julius Capitoli-
nus in Maximin: Imperatorem uti manu & ferro barbari-
cam esse ait temeritatem c. xii: Habuit, inquit, hoc barba-
rica temeritatis, ut putaret Imperatorem manu etiam sua sem-
per uti debere.* Cum juxta *Tacit. l. 12. Annal. c. 6. plura au-
spiciis & consiliis quam telis & manu gerantur.* Accedit insu-
per, quod in proelijs quam maximè Imperatores primo
petantur ab hostibus, quia illis sublatis faciliorem & mi-
nus cruentam suis victoriam pollicentur. Non etiam tan-
tum militum animos frangi, contra vero hostium attol-
li, sed integræ nonnunquam societatis res concidisse, ex
historicorum scriptis apparet. Novimus enim, quid ac-
ciderit Thebanis, post obitum Epaminondæ, fortissimi
Herois. Videantur Iani Gebhardi doctissimi πολιτικώτατα
ad Neptis Cornelij Epaminondam spicilegia, ubi plura e-
jusmodi exempla ex Scriptoribus tam Græcis quam Lati-
nis laudantur. Et vero Scipio Africanus optimus alias
Imperator, cum ei tanquam probrum objectum esset quod
gladium non stringeret, hostem ipse non feriret, respon-
dit: *mater me Imperatorem non militem genuit.* Quibus ver-
bis, Prudentissimus Vir indicare voluit, non requiri hoc
ab Imperatore, sed tantum ut bona consilia suggerendo
exercitui suo profit, cum juxta ante laudata Taciti verba
res consilio potius quam manu geratur. Porro quoque
ad ejusmodi consilia non nisi bene præparatum pectus re-

quiri, certum esse debet, oportet enim Imperatorem omnia diligentius circumspicere, & summo studio id cum primis præcavere, ne aut exercitus ipsius aliquid detrimenti capiat, sed potius huic aut illi ingruenti malo medela quærat; in singula etiam rerum momenta intentum esse decet, nec id tantummodo ante prælium sed & in ipso congressu, animo ipsius obversetur, quomodo hostiles impetus quam optime eludere, & illorum consilij infidias tendere queat; quæ tamen omnia, certe maxima, an ab ejusmodi turbato, qualem pugnantis esse constat, animo expectari possint, merito utique dubium suboriri poterat. Quapropter siquidem nostro iudicio res esset decidenda, Ducem consilio potius quam manu rem agere debere iudicaremus, utpote cum ijs quæ antea retulimus, incommodis, rectius mederi vix queat.

XXXII. Iam illud merito omnibus laudibus erit efferendum, quod Autor noster ulterius institutis bellicis Germanorum veterum notat, cum ita ait: *Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit sed familia & propinquitates, & in proximo pignora, unde scæminarum ululatus audiri unde vagitus infantium potest; hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores.* Quod profecto institutum apud nullam aliam gentem usu receptum fuisse, temere quis leget. Mos etiam ille apud ipsos Germanos hodie plane exspiravit, quippe qui mercenario ut plurimum milite nunc utuntur. In Helvetiâ tamen adhuc hodieque simile quid viget, quod inde factum, quia hi ipsi non perinde ac reliqui Germani mercenario milite utuntur. Quin autem institutum illud summis sit laudibus deprædicandum, nullus equidem ambigo. Hoc enim effecit, ut alter alteri minus esset ignotus, adeoque libentius, (quod propinquitas

quitas equidem exigebat) in periculis se mutuo adjuva-
rent, quod in hodiernâ militiâ quam maximè solet de-
siderari; quia alter alterum non novit, unde fit ut sui ipsi-
us tantum quilibet curam habeat, reliquorum vero salu-
tem parum ad se pertinere putet. Porro etiam ipso Ta-
cito teste, institutum illud præcipuum fortitudinis inci-
tamentum fuit, nemo enim propinquis & amicis præsentibus non strenue mori præoptabit quam ignaviæ & imbel-
liæ (ut Gelliano verbo utar) maculam subire. Fuere etiam,
ut paullo ante audivimus, *in proximo pignora, unde fœminarum ulalatus audiri unde vagitus infantum potuit.* Fœminæ igitur & liberi castra secuti fuerunt. Testatur idem Cæsar l. i. d. B. G. *Mulieres, inquit, in proelium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* Apud Romanos & Græcos nihil unquam tale obtinuisse legimus. Duces quidem & summi militiæ præfecti circumduxerunt secum uxores suas, & circumductæ fuerunt nobilissimæ fœminæ, ut Livia & Agrippina, quæ dictæ fuerunt matres castrorum, verum gregario militi ejusmodi quid non fuit permissum. Poterunt autem & pro hoc instituto & contra id ipsum quædam in medium afferri, siquidem præcium operæ foret; nos tantum breviter hic quid nobis videatur, proponemus. Primum itaque hoc esto, quod scilicet, siquidem miles sit uxoratus, & prohibeatur eam in castris secum circumducere, vinculum illud matrimonij admodum debilitetur, quod non potest non cum magno Reip. detrimento esse conjunctum. Quid olim acciderit Lacedæmonijs foris militantibus, notius est, quàm ut hic recenseri mereatur. Hoc etiam nomine haud parum nocet; quod miles ab uxore sua remotus, & in ocio degens, omnis generis peccatis,

adulterio scilicet, sese contaminet nec debitam rerum
suarum curam habere possit, quod longe aliter fieret, si-
quidem uxorem secum haberet. Ad id porro prodest, fœ-
minas castra sequi, ut eo rectius liberi in exercitijs & studijs
bellicis educantur, adeoque proelijs & pugnis paulatim
assuescant, qui postea adulti pro fortissimis & optimis so-
lent haberi. Sin contra fiat & illi apud matres domi
delitescant, periculum erit, ne fiant imbelles & ignavi,
quod summo studio bellicis rebus addictæ genti præca-
vendum est. Adde, quod ipsos etiam milites reddat fortio-
res & ad capessendum proelium promptiores, cum pro a-
ris & focis tum sibi decertandum esse videant, nemo enim
liberos & conjugem suam temere in hostium manus deve-
nire patietur. *Memoria proditum est, (verba sunt Autoris)*
quasdam acies inclinatas jam & labentes à fœminis restitutas
constantia precum & objectu pectorum & monstrata cominus ca-
pivitate, quam longe impatientius fœminarum suarum nomine
viment. Non absimile huic exemplum apud *Justin. l. 1. de*
Mulieribus Persicis legimus. Narrat Romanæ historiæ
scriptor *Lucius Florus l. 3. c. 3. de Cimbrorum mulieribus,*
quod scilicet Romanis, *non minor cum uxoribus eorum pu-*
gna quam cum ipsis (Viris) fuerit, quum objectis undique plau-
stris, atque carpentis, de super & quasi è turribus lanceis contisque
pugnarent. Attende hoc, quisquis es, & cui sententiæ cal-
culum tuum adjicere debeas, recte considera. Hoc ta-
men exceptum volumus, si quando annonæ caritas inten-
sa fuerit, recte mulieres castris arceri, quod tum minori
commeatu exercitui sit opus.

XXXIII. Illud non possum non hic cum primis et-
iam recensere quod *Autor noster c. 39. de Svevis & cap. 43.*
de Arijs dicit, quæ cum ad mores & instituta bellica per-
tineant,

tineant, omittere nefas habemus. De Svevis hæc habet. *Apud Svevos, inquit, usq; ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo vertice religant, principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ sed innoxia, neque enim ut ament, amenturve, in altitudinem quandam ac terrorem adituri bella, compti ut hostium oculis ornantur.* Ita quoque in ante laudato *Philippi Cluver. lib.* depinguntur, qua fini id fecerint, diserte addit Tacitus, ut hosti hoc modo terrorem incuterent. An autem hæc capillorum cultura illud effecerit, non dubito, multum enim illam Germanicam staturam, quæ satis aliàs procera erat, adjuvit, quo pacto multo terribiliores hosti ipsi fuerunt. Illud autem, quod *cap. 43. de Arijs* recenset, melius est: *Cæterum Arij, ait, supra vires, quibus enumeratos paullo ante Germania populos antecedunt, truces, insita feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra scuta, tincta corpora, atras ad proelia noctes legunt; ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus, terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum, nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.* Medicato scilicet fuco aliquo, aut etiam, quod nonnulli historici afferunt, cruore, faciem ante congressum proeliorum pinxerunt, ut eo terribiliores hostibus viderentur, cum nihil prius ac oculi in proelijs vincantur. Illud etiam, cum olim probe nosset summus ille bellorum, in castris Alexandri, Dux Parmenio, Alexandrum monet, ut potius nocte ex improvviso Persas adoriatur: *Interdum enim terribiles occursum facies Scytharum, Bactrianorumque hirta illis ora, & intonsas comas esse. Preterea eximiam vastorum magnitudinem corporum, vanis & inanibus militem magis, quam justis formidinis causis moveri.* Apud omnes autem Germanos illud in usu minime fuisse, ex historijs antiquis satis potest elici.

XXXIV. Finem exercitio huic nostro imponemus, modo paucis hunc morem examinaverimus, an scilicet illud ex usu Reip. fuerit, quod ita semper armati etiam ipso pacis tempore, inceserint Majores nostri. Siquidem enim Tacito nostro fides habetur, *nihil neque publica neque privata rei egerunt, nisi armati; etiam ad ipsa convivia armati processerunt.* Quem morem adhuc hodie retinuerunt Helvetij, & in Hispania quoque ad hoc usque tempus idem mos observatur, quod incolæ regionis istius procul dubio à Gothis populis Germaniæ acceperunt. Apud Romanos longe aliter sese hæc res habebat, tempore enim pacis, ne sicam quidem gestare licebat, & si qui cum sica reperiretur, in eum severe animadvertebat Prætor Romanus. Novimus autem utramque gentem victoriam & gloriam bello partam pro scopo habuisse, nec iisdem tamen moribus hac in re usas fuisse. Quamvis autem nonnulli hîc afferant, gestationem hanc præcipue ad id conducere, ut ipso etiam pacis tempore, & tranquillatis undique rebus, eo melius quis de bello cogitare, & in studio Martis occupari queat, quod non potest non illi evenire, qui quottidie armis accinctus est. Facere etiam præterea, ad tutelam corporis, ut eo tutior aliquis sit ab insidijs & hostilibus insultibus; hæc tamen tantiponderis mihi non videntur esse, ut inde armorum gestatio pacis tempore patrocinium inveniat. Insidias enim & hostiles insultus pacis tempore in bene constituta Rep. metui non debere, nec adeo armis tum opus esse, siquidem arma gestare nulli sit permissum arbitramur. Et quantumvis hæc omnia largiamur, majora tamen exinde incommoda promanare sic asserimus, quia armorum gestatio vinolentos cum primis & ebrietati deditos

VIXXX

ditos (quales Majores nostros fuisse ante ex Tacito probavimus) nimis reddit feroces, & ad injuriam pronos, hinc multæ cædes & homicidia ortum trahunt. Quantum autem hoc ipsum detrimenti Reip. afferat, nemo non intelligit. Adde his etiam, quod in Monarchijs aut tyrannicis Rebuspubl. nemini armorum tractatio hæc concedi debeat. Observavit hoc etiam cum primis Autor noster de Sutionibus Imperio regio subjectis c. 13. quando. Ita loquitur: *Nec arma, ut apud cæteros Germanos in promiscuo, sed clausa sub custode, & quidem seruo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, ociosa porro armatorum manus facile lascivunt. Enimvero neque nobilem neque libertum armis præponere, regia utilitas est.* Ejusmodi itaque Rebuspubl. quanta pestis veniat promiscua armorum gestatio, hinc cogitur. Quapropter merito ita concludimus, quandoquidem majora & plura secum incommoda hic Germanorum mos trahit, ideoque merito Romanorum instituto, hac quidem in parte palmam deferimus. Et hæc quidem hætenus pro ingenij modulo, de Majorum nostrorum scopo, & medijs ad eum impetrandum facientibus, deq; ipsis institutis bellicis, si non omnibus certe præcipuis, & ad ductum Taciti pauca & ὡς ἐστὶ τὸ πῶς exhibuimus, cui e quidem nostro conatui ut omnes boni faveant, unice in votis habemus, hæc summa, (ut ille ait) votorum, summa curarum. Constitueramus quidem de veterum Germanorum armis, quædam ex alijs autoribus adjicere, deque eorum ad Remp. usu differere, sed partim injuria temporis exclusi, partim quoniam passim hac de re libri offerantur, & unus instar omnium merito omnibus esse possit, Philippus Cluv., antiquitatis ille Germanicæ Phœnix, cujus scriinia compilare, & quæ egregia habet, culpa in-

G

geni

geni detere, religionem puto, merito itaque hoc labore
superfedeo. Sit igitur SOLI DEO
GLORIA.

COROLLARIA.

I.

Liberrima testamenti factio, ut Rebusp.
herilibus prodest, sic civilibus quam maxime
obest.

II.

Majores nostros indigenas fuisse, Taciti
argumenta, quæ affert, non evincunt.

III.

Inviti etiam, modo digni, ad capeffendos
magistratus, siquidem nolint, recte cogi pos-
se, statuimus.

IV.

Parricidium Anglicanum, & Iuri divino
& humano adversatur, adeoque nullo modo
excusationem meretur.

V.

Majores nostri, utut Barbari, in plerisque,
quæ scopum ipforum concernunt, Remp.
suam

suam melius, quam ipsi aut Græci, aut Romani, instituerunt.

VI.

Antiquorum Germanorum Comitia fuisse ex Aristocratico, Oligarchico & Democratico statu mixta.

VII.

Quosdam natura servos dari, certum est.

IX.

Apud Romanos provocatio illa ad populum, magnorum malorum causa, & Reip. perniciosissima existit.

IX.

Συστία in populari statu laudem promerentur.

X.

Injuste fecit Carolus M. quando Saxonas vi & armis ad religionem Christianam compulit.

XI.

Getas esse Gothos, frustra probare annititur
Loccenius l. 1. Antiq. SveoGoth.

XII.

In Germania nunquam obtinuit plena Monarchia.

F I N I S,



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the leaf. The text is mostly illegible due to fading and mirroring.]

[Partial view of the right page of the book, showing printed text and a decorative border. The text is mostly illegible.]

